

Sic deus et virgo: est hic spe celer, illa timore.

Qui tamen insequitur pennis adiutus Amoris, 540

3 ocior est requiemque negat tergoque fugacis

inminet et crinem sparsum cervicibus adflat.

viribus absumptis expalluit illa citaeque

6 victa labore fugae "Tellus", ait, "hisce vel istam,

quae facit, ut laedar, mutando perde figuram!

Fer, pater", inquit, "opem! si flumina numen habetis, 545

9 qua nimium placui, mutando perde figuram!"

Vix prece finita torpor gravis occupat artus,

mollia cinguntur tenui praecordia libro,

12 in frondem crines, in ramos bracchia crescunt, 550

pes modo tam velox pigris radicibus haeret,

ora cacumen habet: remanet nitor unus in illa.

15 Hanc quoque Phoebus amat positaque in stipite dextra

sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus

complexusque suis ramos ut membra lacertis 555

18 oscula dat ligno. Refugit tamen oscula lignum.

Cui deus "at quoniam coniunx mea non potes esse,

arbor eris certe", dixit, "mea! Semper habebunt

21 te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae."